

EPISTULA LEONINA

CXXXI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TRICESIMAM PRIMAM (131) !

ARGUMENTA

1. DE TRIBUS FURIBUS INGENIOSIS

1.1 HERODOTUS *Historiae* 2,121 sq. (editio Graeco-Latina).....

1.2 FRATRES GRIMM: *Der Meisterdieb* (versio Latina).....

1.3 FRATRES GRIMM: *De Gaudeif un sien Meester* (versio Latina).....

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
centesimam tricesimam primam.*

*Narrabitur nunc de furibus ingeniosis idque ab auctoribus illustrissimis,
qui sunt Herodotus (quem Cicero vocat Patrem Historiae) et Vilelmus et
Iacobus Grimm (quorum fabellas nemo est qui nesciat).*

Ergo attende: laetaberis.

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 131 tolle et lege et ...
pancraticê vale et perge mihi favere!*

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominicâ in Albis, 23.m. Apr., a.2017**





**SED IN PRIMIS
AD FONTES IPSOS PROPERANDUM,
ID EST
GRAECOS ET ANTIQUOS.**

ERASMUS ROTTERODAMUS

Erasmus von Rotterdam: *De ratione studii ac legendi interpretandique auctores*, Parisiis a.1511, in: *Desiderii Erasmi Roterodami Opera omnia*, ed. J. H. Waszink e.al., Amstelodami 1971, vol. I 2, 79-151.

HERODOTUS Historiae 2,121 De trifure sive fure ingenioso



Textus originalis¹

Versio Latina² (Schweighäuser 1830)

(2,121) Πρωτεύος δὲ ἐκδέξασθαι τὴν βασιληίην Ῥαμψίνιτον ἔλεγον, ὃς μνημόσυνα ἐλίπετο τὰ προπύλαια τὰ πρὸς ἑσπέρην τετραμμένα τοῦ Ἥφαιστείου, ἀντίους δὲ τῶν προπυλαίων ἔστησε ἀνδριάντας δύο, ἕοντας τὸ μέγαθος πέντε καὶ εἴκοσι πήχεων, τῶν Αἰγύπτιοι τὸν μὲν πρὸς βορέῳ ἑσπεῶτα καλέουσι Θέρος, τὸν δὲ πρὸς νότον Χειμῶνα· καὶ τὸν μὲν καλέουσι Θέρος, τοῦτον μὲν προσκυνέουσί τε καὶ εὖ ποιέουσιν, τὸν δὲ Χειμῶνα καλούμενον τὰ ἔμπαλιν

121. Proteo in regno successisse memorarunt *Rampsinitum*, qui monumenta sui reliquit propylaea templi Vulcani, occidentem spectantia. Ex adverso vero propylaeorum duas posuit statuas, viginti quinque cubitorum magnitudine: quarum illam, quae stat a septentrione, *Aestatem* appellant Aegyptii; alteram, quae a meridie, *Hiemem*; et illam quidem, quam *Aestatem* vocant, adorant et donis placant; adversus illam, quae *Hiems* nominatur.

¹ Herodotus, with an English translation by A. D. Godley. Cambridge. Harvard University Press. 1920. The Annenberg CPB/Project provided support for entering this text. PERSEUS PROJECT <http://www.perseus.tufts.edu/hopper/text?doc=Hdt.+2.121&fromdoc=Perseus%3Atext%3A1999.01.0125> Interpunctionem mutavi, in sententiis ineuntibus usus sum litteris maiusculis.

² Joannes Schweighauser: Herodoti Musae sive Historiarum libri IX. Tom.2, Londini 1830.https://books.google.de/books/about/Versio_Latina.html?id=GXJHAQAAMAJ&redir_esc=y Pauca tantum verba mutavi.

τούτων ἔρδουσι.

(2,121) [α 1] Πλουῦτον δὲ τούτῳ τῷ βασιλεί γενέσθαι ἀργύρου μέγαν, τὸν οὐδένα τῶν ὕστερον ἐπιτραφέντων βασιλέων δύνασθαι ὑπερβαλέσθαι οὐδ' ἐγγὺς ἐλθεῖν. Βουλόμενον δὲ αὐτὸν ἐν ἀσφαλείῃ τὰ χρήματα θησαυρίζειν οἰκοδομέεσθαι οἶκημα λίθινον, τοῦ τῶν τοίχων ἓνα ἐς τὸ ἔξω μέρος τῆς οἰκίας ἔχειν. Τὸν δὲ ἐργαζόμενον ἐπιβουλεύοντα τάδε μηχανᾶσθαι· τῶν λίθων παρασκευάσασθαι ἓνα ἐξαίρετὸν εἶναι ἐκ τοῦ τοίχου ῥηιδίως καὶ ὑπὸ δύο ἀνδρῶν καὶ ὑπὸ ἑνός. [2] Ὡς δὲ ἐπετελέσθη τὸ οἶκημα, τὸν μὲν βασιλέα θησαυρίσαι τὰ χρήματα ἐν αὐτῷ, χρόνου δὲ περιόντος τὸν οἰκοδόμον περὶ τελευτῆν τοῦ βίου ἐόντα ἀνακαλέσασθαι τοὺς παῖδας (εἶναι γὰρ αὐτῷ δύο), τούτοισι δὲ ἀπηγήσασθαι ὡς ἐκείνων προορῶν, ὅπως βίον ἀφθονον ἔχωσι, τεχνάσαιτο οἰκοδομῶν τὸν θησαυρὸν τοῦ βασιλέως· σαφέως δὲ αὐτοῖσι πάντα ἐξηγησάμενον τὰ περὶ τὴν ἐξαίρεσιν τοῦ λίθου δοῦναι τὰ μέτρα αὐτοῦ, λέγοντα ὡς ταῦτα διαφυλάσσουντες ταμίαι τῶν βασιλέως χρημάτων ἔσονται. [3] Καὶ τὸν μὲν τελευτῆσαι τὸν βίον, τοὺς δὲ παῖδας οὐκ ἐς μακρὴν ἔργου ἔχεσθαι. Ἐπελθόντας δὲ ἐπὶ τὰ βασιλῆα νυκτὸς καὶ τὸν λίθον ἐπὶ τῷ οἰκοδομήματι ἀνευρόντας ῥηιδίως μεταχειρίσασθαι καὶ τῶν χρημάτων πολλὰ ἐξενείκασθαι.

[β1] Ὡς δὲ τυχεῖν τὸν βασιλέα ἀνοίξαντα τὸ οἶκημα, θωμάσαι ἰδόντα τῶν χρημάτων καταδεᾶ τὰ ἀγγῆα, οὐκ ἔχειν δὲ ὄντινα ἐπαιτιᾶται, τῶν τε σημαντρῶν ἐόντων σόων καὶ τοῦ οἰκήματος κεκλημμένου. Ὡς δὲ αὐτῷ καὶ δις καὶ τοῖς ἀνοίξαντι αἰεὶ ἐλάσσω

contrarium faciunt.

a) Hunc regem, dixerunt, tantas opes possedisse, tantamque vim argenti, ut posteriorum regum nullus, non dico superare eum opibus potuerit, sed ne prope quidem accedere. Igitur in tuto reponere suas pecunias cupientem, conclave aedificandum curasse lapideum. Cuius aedificii cum unus paries extrorsum spectaret, eum cui mandatum opus erat, insidiantem, hocce esse machinatum: ex lapidibus unum ita parasse, ut e muro facile eximi posset a duobus aut etiam ab uno homine. (2) Absoluto aedificio, regem in illo divitias suas deposuisse. Interiecto autem tempore, cum *aedificator* prope vitae finem esset, hunc advocatis ad se duobus, qui ei erant, filiis exposuisse, in aedificando régis thesauro usum se esse artificio, quo prospexisset, ut opulentam haberent rem familiarem. Perspicuè igitur illos omnia docuisse, quibus eximi lapis posset, et mensuras illis tradidisse, quas si observassent, futuros eos aiebat esse regiarum opum dispensatores. (3) Hòc igitur vitâ functo, filios haud multo post operi admovisse manûs: noctu ad regiam accedentes, lapidem in aedificio a se inventum facili operâ tractasse, multumque pecuniae extulisse.

b) Cum forte dein conclave rex aperuisset, videretque diminutas in vasis pecunias, miratum esse; nec vero quem culparet habuisse, cum sigilla ianuae salva fuissent, et aedificium clausum. Ubi autem iterum et tertio aperiens. constanter

φαίνεσθαι τὰ χρήματα (τοὺς γὰρ κλέπτας οὐκ ἀνιέναι κεραίζοντας), ποιῆσαί μιν τάδε. Πάγας προστάξαι ἐργάσασθαι καὶ ταύτας περὶ τὰ ἀγγῆια ἐν τοῖσι τὰ χρήματα ἐνῆν στῆσαι. [2] Τῶν δὲ φωρῶν ὡσπερ ἐν τῷ πρὸ τοῦ χρόνῳ ἐλθόντων καὶ ἐσδύντος τοῦ ἑτέρου αὐτῶν, ἐπεὶ πρὸς τὸ ἄγγος προσῆλθε, ἰθέως τῇ πάγῃ ἐνέχεσθαι. Ὡς δὲ γνῶναι αὐτὸν ἐν οἴῳ κακῶ ἦν, ἰθέως καλέειν τὸν ἀδελφεὸν καὶ δηλοῦν αὐτῷ τὰ παρεόντα καὶ κελεύειν τὴν ταχίστην ἐσδύντα ἀποταμῆν αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν, ὅπως μὴ αὐτὸς ὀφθῆις καὶ γνωρισθῆις ὡς εἶη προσαπολέση κάκεινον. Τῷ δὲ δόξαι εὖ λέγειν καὶ ποιῆσαί μιν πεισθέντα ταῦτα καὶ καταρμόσαντα τὸν λίθον ἀπιέναι ἐπ' οἴκου, φέροντα τὴν κεφαλὴν τοῦ ἀδελφεοῦ.

[γ1] Ὡς δὲ ἡμέρη ἐγένετο, ἐσελθόντα τὸν βασιλέα ἐς τὸ οἶκημα ἐκπεπληχθαι ὀρῶντα τὸ σῶμα τοῦ φωρὸς ἐν τῇ πάγῃ ἄνευ τῆς κεφαλῆς ἐόν, τὸ δὲ οἶκημα ἀσινὲς καὶ οὔτε ἔσοδον οὔτε ἔκδυσιν οὐδεμίαν ἔχον. Ἀπορεῦμενον δὲ μιν τάδε ποιῆσαι· τοῦ φωρὸς τὸν νέκυν κατὰ τοῦ τείχεος κατακρεμάσαι, φυλάκους δὲ αὐτοῦ καταστήσαντα ἐντείλασθαί σφι, τὸν ἄν ἴδωνται ἀποκλαύσαντα ἢ κατοικτισάμενον, συλλαβόντας ἄγειν πρὸς ἑωυτόν. [2] Ἀνακρεμαμένου δὲ τοῦ νέκυος τὴν μητέρα δεινῶς φέρειν, λόγους δὲ πρὸς τὸν περιέοντα παῖδα ποιευμένην προστάσσειν αὐτῷ ὅτεω τρόπῳ δύναται μηχανᾶσθαι ὅπως τὸ σῶμα τοῦ ἀδελφεοῦ καταλύσας κομιεῖ· εἰ δὲ τούτων ἀμελήσει, διαπειλέειν αὐτὴν ὡς ἐλθοῦσα πρὸς τὸν βασιλέα μηνύσει αὐτὸν ἔχοντα τὰ χρήματα.

Id 11 Ὡς δὲ γαλεπῶς ἐλαυβάνετο ἢ

minui vidit pecunias, (nec enim spoliare desiisse fures) hocce eum fecisse: laqueos confici iussisse, eosque circa vasa, in quibus inerant pecuniae, collocari. (2) Ventitasse, ut antea, fûres: quorum cum irrepsisset alter, et ad vas accessisset, protinus laqueo esse captum. Eundem vero, videntem, quo in malo esset, protinus vocato fratri significasse, quid accidisset, iussisque eum, ut quam celerrimê ipse irreperet, sibique caput abscideret, ne, sese conspecto, agnitoque, quis esset, ille simul male esset periturus. Et illum, probato huius consilio, fecisse, ut iusserat frater, adaptatoque iterum lapide domum abiisse, caput fratris asportantem.

c) Ut illuxit, ingressum regem in conclave obstupuisse, conspecto corpore fûris laqueo constricti, quod erat capitis expers, cum praesertim illaesum aedificium, nullumque vel introitum vel exitum, videret. Itaque haerentem animo, hocce fecisse: cadaver fûris ex muro suspendisse, appositisque custodibus imperasse, ut, si quem vidissent deplorantem aut lamentantem, hunc prehensum ad se adducerent. (2) Interim suspenso fûris cadavere vehementer dolentem matrem, collatis cum superstite filio sermonibus imperasse huic, ut, quoquo modo quibusve artibus posset, solvere cadaver fratris et sibi afferre conaretur; adiecisseque minas, eam rem si ille neglexisset, regem se adituram, ipsumque, ut qui illius pecunias habeat, delaturam.

d) Ita asnerê a matre accentum filium

μήτηρ τοῦ περιέοντος παιδὸς καὶ πολλὰ πρὸς αὐτὴν λέγων οὐκ ἔπειθε, ἐπιτεχνήσασθαι τοιάδε μιν. Ὅνους κατασκευασάμενον καὶ ἄσκους πλήσαντα οἴνου ἐπιθεῖναι ἐπὶ τῶν ὄνων καὶ ἔπειτα ἐλαύνειν αὐτούς. Ὡς δὲ κατὰ τοὺς φυλάσσοντας ἦν τὸν κρεμάμενον νέκυν, ἐπισπάσαντα τῶν ἀσκῶν δύο ἢ τρεῖς ποδεῶνας αὐτὸν λύειν ἀπαμμένους. [2] ὡς δὲ ἔρρεε ὁ οἶνος, τὴν κεφαλὴν μιν κόπτεσθαι μεγάλα βοῶντα ὡς οὐκ ἔχοντα πρὸς ὀκοῖον τῶν ὄνων πρῶτον τράπηται. Τοὺς δὲ φυλάκους ὡς ἰδεῖν πολλὸν ῥέοντα τὸν οἶνον, συντρέχειν ἐς τὴν ὁδὸν ἀγγηία ἔχοντας καὶ τὸν ἐκκεχυμένον οἶνον συγκομίζειν ἐν κέρδει ποιευμένους. [3] Τὸν δὲ διαλοιδορέεσθαι πᾶσι ὀργὴν προσποιούμενον· παραμυθευμένων δὲ αὐτὸν τῶν φυλάκων χρόνῳ πρηῦνεσθαι προσποιέεσθαι καὶ ὑπίεσθαι τῆς ὀργῆς, τέλος δὲ ἐξελάσαι αὐτὸν τοὺς ὄνους ἐκ τῆς ὁδοῦ καὶ κατασκευάζειν. [4] Ὡς δὲ λόγους τε πλέους ἐγγίνεσθαι καὶ τινα καὶ σκῶψαί μιν καὶ ἐς γέλωτα προαγαγέσθαι, ἐπιδοῦναι αὐτοῖσι τῶν ἀσκῶν ἓνα· τοὺς δὲ αὐτοῦ ὡσπερ εἶχον κατακλιθέντας πίνειν διανοέεσθαι καὶ ἐκεῖνον παραλαμβάνειν καὶ κελεύειν μετ' ἐωυτῶν μείναντα συμπίνειν. Τὸν δὲ πεισθῆναι τε δὴ καὶ καταμεῖναι. [5] ὡς δὲ μιν παρὰ τὴν πόσιν φιλοφρόνως ἠσπάζοντο, ἐπιδοῦναι αὐτοῖσι καὶ ἄλλον τῶν ἀσκῶν· Δαψιλῆι δὲ τῶ ποτῶ χρησαμένους τοὺς φυλάκους ὑπερμεθυσθῆναι καὶ κρατηθέντας ὑπὸ τοῦ ὕπνου αὐτοῦ ἔνθα περ ἔπινον κατακοιμηθῆναι. [6] Τὸν δὲ, ὡς πρόσω ἦν τῆς νυκτός, τό τε σῶμα τοῦ ἀδελφεοῦ καταλύσαι καὶ τῶν φυλάκων ἐπὶ λύμῃ πάντων ξυροῆσαι

superstitem, postquam nullo pacto illam potuisset commovere, dolum excogitasse huiusmodi. Instructis asinis utres imposuisse vino plenos, eosque per viam publicam agitasse: cumque prope locum fuisset, ubi erant cadaveris suspensi custodes, attractos duorum aut trium utrium pendulos petiolos solvisse; (2) tum, effluente vino, caput sibi pulsasse ingenti edito clamore, quasi incertum, ad quemnam ex asinis primum se converteret. Custodes, multum fluere vini videntes, in viam concurrisse, vasa tenentes, effluensque vinum, ut suum in lucrum cedens, colligentes; (3) illum autem, vehementer se iratum simulantem, maledictis eos lacerasse. Custodibus vero eum consolantibus, paulatim mitigari simulantem, ab irâ remisisse; denique a mediâ viâ exegisse asinos, eosque rursus instruxisse. (4) Ibi multis incidentibus sermonibus, cum unus ex custodibus facetê cavillans etiam risum ei elicuisset, dono eum illis dedisse unum ex utribus: et illos e vestigio discumbentes computationi animum applicuisse, ipsumque manu prehensum hortatos esse, ut secum maneret comptaretque: et illum, ut erat consentaneum, morem gessisse, apudque illos mansisse. (5) Qui cum inter potandum comiter salutarent hominem, hunc etiam alio ex utribus illos donasse: et copioso potu utentes custodes, ita fuisse inebriatos, ut somno oppressi, eodem loco, ubi potaverant, obdormierint. (6) Tum vero, nocte iam multum progressâ, hunc fratris corpus solvisse, et custodum dextras genas contumeliae causâ rasisse; denique cadavere asinis

τὰς δεξιὰς παρηίδας, ἐπιθέντα δὲ τὸν νέκυν ἐπὶ τοὺς ὄνους ἀπελαύνειν ἐπ' οἴκου, ἐπιτελέσαντα τῇ μητρὶ τὰ προσταχθέντα.


[ε 1] Τὸν δὲ βασιλέα, ὡς αὐτῶ ἀπηγγέλη τοῦ φῶρος ὁ νέκυσ ἐκκεκλεμμένος, δεινὰ ποιέειν, πάντως δὲ βουλόμενον εὐρεθῆναι ὅστις κοτὲ εἶη ὁ ταῦτα μηχανώμενος, ποιῆσαί μιν τάδε, ἐμοὶ μὲν οὐ πιστά. [2] Τὴν θυγατέρα τὴν ἐωντοῦ κατίσαι ἐπ' οἰκῆματος, ἐντειλάμενον πάντας τε ὁμοίως προσδέκεσθαι καί, πρὶν συγγενέσθαι, ἀναγκάζειν λέγειν αὐτῇ ὅ τι δὴ ἐν τῷ βίῳ ἔργασται αὐτῷ σοφώτατον καὶ ἀνοσιώτατον· ὃς δ' ἂν ἀπηγήσεται τὰ περὶ τὸν φῶρα γεγενημένα, τοῦτον συλλαμβάνειν καὶ μὴ ἀπιέναι ἔξω. [3] Ὡς δὲ τὴν παιδα ποιέειν τὰ ἐκ τοῦ πατρὸς προσταχθέντα, τὸν φῶρα, πυθόμενον τῶν εἵνεκα ταῦτα ἐπρήσσετο, βουληθέντα πολυτροπία τοῦ βασιλέος περιγενέσθαι ποιέειν τάδε. [4] Νεκροῦ προσφάτου ἀποταμόντα ἐν τῷ ὤμῳ τὴν χεῖρα ἰέναι αὐτὸν ἔχοντα αὐτὴν ὑπὸ τῷ ἱματίῳ· ἐσελθόντα δὲ ὡς τοῦ βασιλέος τὴν θυγατέρα καὶ εἰρωτώμενον τὰ περὶ καὶ οἱ ἄλλοι, ἀπηγήσασθαι ὡς ἀνοσιώτατον μὲν εἶη ἐργασμένος ὅτι τοῦ ἀδελφεοῦ ἐν τῷ θησαυρῷ τοῦ βασιλέος ὑπὸ πάγης ἀλόντος ἀποτάμοι τὴν κεφαλὴν, σοφώτατον δὲ ὅτι τοὺς φυλάκους καταμεθύσας καταλύσειε τοῦ ἀδελφεοῦ κρεμάμενον τὸν νέκυν. [5] Τὴν δέ, ὡς ἤκουσε, ἄπτεσθαι αὐτοῦ, τὸν δὲ φῶρα ἐν τῷ σκότει προτείνειν αὐτῇ τοῦ νεκροῦ τὴν χεῖρα· τὴν δὲ ἐπιλαβομένην ἔχειν, νομίζουσιν αὐτοῦ ἐκείνου τῆς χειρὸς ἀντέχεσθαι· τὸν δὲ φῶρα προέμενον αὐτῇ οἴχεσθαι διὰ θυρέων φεύγοντα.

imposito, mandata matris exsecutum, domum cum asinis rediisse.

e) Regem, postquam ei renuntiatum esset furto ablatum esse cadaver, aegerrimè tulisse; cupientemque quoquomodo reperire, quis esset, qui ista fuisset machinatus, hocce fecisse aiunt, mihi non credibile. (2) Filiam suam iussisse in lupanari sedere, cunctosque homines pariter admittere, sed, priusquam coirent, cogere, ut dicat quisque, quid sit, quod et callidissimum, et quod improbissimum, in vitâ patrauerit: quod si quis narrasset ea, quae circa furem accidissent, hunc prehenderet, neque egredi pateretur. (3) Iussis patris cum morem gereret puella, furem hunc, postquam cognosset, cuius rei causâ haec fierent, cuperetque regem superare versutiâ, haecce fecisse. (4) Recenter mortui hominis amputasse in umero manum, eâque sub pallio absconditâ ad régis filiam intrasse; tum ab eâ interrogatum sicuti alios, respondisse, *improbissimum se facinus patrasse, cum suspensum fratris caput abscidisset, laqueo capti in régis thesauro; callidissimum vero, quod inebriatis custodibus cadaver fratris suspensum solvisset*. (5) Tum illam, his auditis, prehensisse hominem: at furem in tenebris manum mortui porrexisset; quam dum illa prehenderet, manum illius ipsius se tenêre existimans, furem missam illi eam fecisse, et per ianuam egressum profugisse.

[ζ 1] Ὡς δὲ καὶ ταῦτα ἐς τὸν βασιλέα ἀνηνεῖχθαι, ἐκπεπλήχθαι μὲν ἐπὶ τῇ πολυφροσύνῃ τε καὶ τόλμῃ τοῦ ἀνθρώπου, τέλος δὲ διαπέμποντα ἐς πάσας τὰς πόλεις ἐπαγγέλλεσθαι ἀδείην τε δίδόντα καὶ μεγάλα ὑποδεκόμενον ἐλθόντι ἐς ὄψιν τὴν ἑωυτοῦ. [2] Τὸν δὲ φῶρα πιστεύσαντα ἐλθεῖν πρὸς αὐτόν, Ῥαμψίνιτον δὲ μεγάλως θωμάσαι καὶ οἱ τὴν θυγατέρα ταύτην συνοικίσαι ὡς πλεῖστα ἐπισταμένῳ ἀνθρώπων· Αἰγυπτίους μὲν γὰρ τῶν ἄλλων προκεκρίσθαι, ἐκεῖνον δὲ Αἰγυπτίων.

f) Postquam igitur et haec régi essent renuntiata, attonitum fuisse illum et versutiâ et audaciâ hominis. Ad extremum, circummissis per oppida praeconibus, edixisse et impunitatem se concessurum, et magna etiam dona adiecturum homini, si in conspectum suum venisset. (2) Et edicto fidem adhibentem furem, ad regem accessisse; Rampsinitumque, magnâ hominis admiratione ductum, filiam ei hanc in matrimonium dedisse, ut hominum omnium scientissimo: Aegyptios enim omnibus aliis antecellere, ipsum vero Aegyptiis.



SYNOPSIS

FABULAE FURIS INGENIOSI

AB HERODOTO TRADITAE

NECNON

EIUSDEM VERSIONIS LATINAE

A IOHANNE SCHWEIGHÄUSER

ARTIFICIOSE CONFECTAE

COMPOSUIT

LEO LATINUS

FABELLA GRIMMIANA

De artifice furandi



Aliquo die senex quidam cum uxore suâ ante domum pauperulam sedebat, ut a laboribus paululum quiesceret. Tum subito quattuor equis nigris adiunctis advectus est currus magnificus, e quo descendit vir eleganter vestitus. Agricola surrexit, dominum accessit, rogavit, quidnam vellet, et quomodo illum adiuvare posset. Manu porrectâ peregrinus seni dixit: »Nil velim nisi frui cenâ rurali. Parate mihi poma terrestria hâc modo cocta, quo vos ea comedere soletis, haec si accepero, velim volup epulari ad mensam tuam sedens«. Agricola autem subridens: »Tu es comes aut princeps, domini nobiles interdum affecti sunt tali cupiditate: at optatum tuum expleatur«. Uxor eius iit in coquinam ibique coepit poma terrestria abluere et disterere, ut ex iis globulos conficeret, quales comedunt agricolae.

Uxore operante agricola peregrino dixit: »Interim venias mecum in hortum meum domesticum, ubi mihi adhuc restat aliquid perficiendum«. In horto enim agricola effossâ terrâ foveas fecerat et nunc voluit arbores inserere. Peregrinus: »Nonne tibi sunt« inquit »liberi, qui te adiuvent laborantem?« - Agricola respondit: »Non sunt. Fuit mihi quidem filius, sed is longo iam tempore ante abiit in terras longinquas. Qui fuerat puer male moratus, callidus et dolosus, sed nihil voluit discere et malos dolos nectere non desiit; denique mihi aufûgit, et ex eo tempore nihil iam audivi de illo«. Senex foveae

insevit arbusculam sumptam et iuxta eam palum posuit: terrâ vatillo ingestâ pedibusque festucatâ stipitem arbusculae in parte inferiore et mediâ et superiore fune stramineo ad palum firmê alligavit. Dominus autem: »At dic mihi« inquit, »quidni illam arborem incurvam et nodosam, quae ibi in angulo usque ad humum ferê iacet inclinata, etiam alligas ad talem palum, ut crescat rectâ lineâ?« Tum senex subridens: »Domine« inquit, »tu loqueris de hac re, quantum eam scis: bene video te horti colendi non peritum esse. Illa arbor cum sit vetus et nodosa, a nemine potest corrigi: Arbores necesse est educantur, dum sunt iuvenes«. – Peregrinus: »Ita quoque« inquit, »etiam factum est de filio tuo. Quem si iuvenem educasses, non aufugisset; nescio an interim is quoque factus sit durus atque nodosus«. – Senex respondit: »Scilicet. Diu iam est, cum abiit; certê interim mutatus sit«. – Peregrinus interrogavit: »Illumne recognosceres, si te accederet?« Agricola: »De facie« inquit, »vix eum recognoscerem. At eius corpori inest signum, naevus quidam umero insitus, qui formâ est fabae«. Hoc cum agricola dixisset, peregrinus umerum denudavit illique demonstravit fabam. Tum senex vocavit amore filii commotus: »O mi Domine Deus. Tu reverâ es filius meus!« Gemens autem addidit verba haec: »At quomodo tu, qui sis filius meus, factus es magnus dominus, qui divitiis abundet? Quâ viâ easdem assecutus es?« - Filius: »Ah pater« inquit, »arbor iuvenis cum nulli palo esset alligata, crescendo incurvata est: nunc est vetustior, quam ut corrigatur. Quaeris, quomodo haec omnia mihi comparaverim? Fur factus sum. At noli terreri, ego sum artifex furandi. Mihi quidem clausum manet neque claustrum neque repagulum: Quae cupio, fiunt mea. Ne credas me furari more fûris vulgaris, equidem nihil surripio nisi abundantiam hominum divitum. Pauperibus non noceo, iis mâlo aliquid dare quam auferre. Neque id attingo, quod accipere possum sine operâ, dolo, sollertiâ«. – Pater: »O mi fili« inquit, »istud vehementer mihi displicet, nam fur manet fur; dico tibi rem tuam non bene esse evasuram«. Pater illum adduxit ad matrem; quae cum audivisset hunc virum esse filium suum, gaudio lacrimavit, sed cum ille dixisset se factum esse artificem furandi, matris facies altero flumine lacrimarum madefacta est. Tandem ea dixit: »Etsi fur factus est, tamen est filius meus, et eum revidi oculis meis«.

Ad mensam consederunt, et vir cum parentibus denuo comêdit cibum modicum, qualem diu non comederat. Pater autem: »Si dominus noster« inquit, »comes, qui habitat ibi in castello, acceperit, quis tu sis et quid agas, non te recipiet bracchiis suis neque te oscillabit, ut fecit illo tempore, quo te tenuit ad lapidem baptismalem, sed curabit, ut oscilleris laqueo patibuli suspensus«. - »Noli sollicitari, mi pater, ille nihil mihi faciet, nam artem meam calleo. Hodie iam eum adibo«. Cum advesperasceret, artifex currui insedit et ad castellum vectus est. Comes autem furem decenter recepit, quia eum habuit pro viro nobili. Cum peregrinus autem dixisset, quis esset, comes compalluit et aliquamdiu tacuit. Tandem: »Tu es« inquit, »filius meus spiritualis. Itaque clementiâ usus gratiam faciam delicti. Cum autem glorieris te esse artificem furandi, artem tuam ad obrussam exigam, sed nisi examen superaveris, nuptiae tibi agendaerunt cum filiâ restionis, et cantilenam audies corvorum crocitationem«. – Artifex autem: »Domine Comes« inquit, »excogita tria munera cuiuslibet difficultatis, quae nisi exsecutus ero, facias de me quidquid volueris«. Comes per nonnulla momenta temporis cum deliberavisset, dixit: »Agedum, primo e stabulo auferas equum mihi dilectissimum, deinde mihi uxori meae, cum obdormiverimus, impositis non sentientibus surripias pannum lectuarium necnon uxori meae de digito anulum conubialem: tertio et ultimo parochum et custodem mihi furando ex ecclesiâ tollas. Haec omnia memoriae tuae bene manda, nam agitur de salute tuâ«.


Artifex se contulit ad urbem proximam. Ibi vestimenta veteris mulieris rusticae empta induit. Deinde faciem pigmento fusco collevit necnon impinxit rugas aniles, ne a quo recognosceretur. Denique doliolum implevit vetere vino Hungarico, cui immiscuerat fortem potionem somniferum. Quod doliolum imposuit cophino, quem scapulis subbaiulavit, et gradu lento vacillantique iit ad castellum comitis. Fûre adveniente iam erant tenebrae; qui in aula insedit lapidi, coepit tussire more aniculae e pectore laborantis, manûs fricabat, quasi frigeret. Ante ostium stabuli equilis milites circa ignem iacebant; unus ex iis mulierem animadversam advocavit: »Accede propius, vetula matercula, ut apud nos calefias. Certê nondum habes cubile et comprobabis, quodcumque inveneris«. Anicula ad ignem trepidavit, rogavit, ut sibi cophinus de dorso deponeretur, iuxta milites ad ignem

consedit. Unus ex illis: »Quidnam« rogavit, »habes in isto doliolo, anicula decrepita?« Ea autem respondit: »Bonum villum¹. Quo vendendo vitam sustento, pro nummulis bonisque verbis vobis quoque libenter dabo hyalum«. »Cedo istud villum« miles dixit et hyalo vini gustato vocavit: »Si vinum est bonum, mâlo hyalum alterum«, iterum iussit sibi infundere, et ceteri exemplum eius secuti sunt. - »Heus sodales« aliqui miles acclamavit illis, qui in stabulo sedebant, »hîc est matercula, quae habet vinum, quod est tam vetustum quam illa ipsa, venite et haustum sumite, nam hîc potu stomachus vester etiam melius calefiet quam nostro igne«. Anicula doliolum in stabulum importavit. Unus militum consederat in equo, qui erat comiti dilectissimus, sellâ ornato, alter frenum manu tenebat, tertius arripuerat caudam. Anicula infundebat, quantum poscebatur, usque dum fons exaruit. Nec mora, uni frenum e manu excidit, qui delapsus coepit stertere, alter caudâ remissâ decubuit et coepit etiam maiore cum strepitu ronchari. Is, qui in sellâ equestri sedebat, remansit quidem sedens, sed caput ferê usque ad collum equi incurvaverat, dormiebat et ore flabat tamquam follis fabri ferrarii. Foris milites iam pridem obdormiverant, humi iacebant, tam immoti quam lapides.

Artifex autem cum videret rem sibi bene successisse, unius militis manui pro freno indidit funem et alterius, qui caudam tenuerat, scopas stramineas; at quidnam faceret de illo, qui insidebat dorso equi? Noluit enim illum deicere, ne expergefactus tolleretur clamorem. At cum bene sciret, quid sibi esset agendum, cingulum sellae equestris imposuit, nonnullis funibus, qui e pariete dependebant anulis circumvoluti, ad sellam equestrem annexis equitem dormientem sellae affixum in altum sustulit; deinde funes posti circumvolutos affixit. Equum mox a catenâ resolverat, sed si per aulae viam lapideam equitasset, certê in castello auditus esset eius strepitus. Itaque fur primo ungulas equi circumvolvitur pannis vetustis, deinde equum cautê eduxit, inscendit, raptimque abequitavit.

Primâ luce artifex equo surrepto ad castellum rapidê vectus est. Comes modo cum surrexisset, e fenestrâ prospexit. Fur autem ad eum vociferatus est: »Bonum mâne, Domine Comes! Hîc est equus, quem feliciter e stabulo adduxi. Eho, vide, quam pulchrê milites tui

¹ orig. *einen guten Schluck Wein*. villum, -i n. est deminutivum vini (TER. Adelph.786).



iacentes dormiunt, et in stabulum si ieris, videbis, quam commodê ibi se habeant tui custodes«.

Comes autem non potuit, quin rideret. Deinde: »Semel hoc tibi contigit, sed facinus alterum non tam feliciter tibi evadet. Necnon te praemonebo me, si fur in me incideris, te tractaturum ut furem«. Comitissa nocte cum in lecto se collocasset, manum cum anulo nuptiali firmê conclusit et comes dixit: »Omnes ianuae sunt conclusae et obseratae, ego vigilabo furemque expectabo; iste si per fenestram inscenderit, a me percutietur glande e pistolio emissâ«. Artifex autem in tenebris exiit ad patibulum, miserum quendam peccatorem, qui ibi suspensus erat, a reste desectum et in scapulas subbaiulatum ad castellum attulit. Ibi scalâ cubiculo appositâ, viro mortuo in scapulas subbaiulato coepit ascendere. Tantam altitudinem assecutus, ut caput mortui in fenestrâ appareret, comes in lecto insidians pistolio glandem in caput iaculatus est: tum statim fur curavit, ut peccator miser decideret, ipse e scalâ desiluit et in angulum se abdidit. Nox a lunâ tam longinquê illuminabatur, ut fur clarê videret Comitem e fenestrâ in scalam descendere, devenire, mortuum in hortum auferre. Ibidem

terrâ egestâ coepit foveam facere, cui cadaver voluit imponere. Fur cogitans nunc sibi venisse tempus aptissimum agiliter ex angulo suo erepsit et per scalam ascendit in ipsum cubiculum Comitissae. Nunc vocem Comitissae imitatus: »Cara uxor« inquit, »fur est mortuus, tamen est filius meus spiritualis et potius fuit scurra quam vir scelestus: itaque eum nolo infamiae publicae relinquere; miseret me etiam parentium miserorum. Ante lucem ipse eum in horto sepeliam, ne res percrebrescat. Da mihi etiam pannum lectuarium, ut cadaver involvam et tamquam canem infodiam«. Tum Comitissa illi pannum dedit. Fur autem loqui perrexit: »Scin' quid faciam? Quadam liberalitate affectus sum, da mihi etiam anulum; ille miserrimus ausus est vitae periculum adire, ergo anulum secum auferat in sepulcrum«. Uxor cum Comiti nollet contradicere, quamvis invita anulum de digito abstractum marito porrexit. Tum fur utrâque re acceptâ abiit et feliciter domum vênit, antequam Comes in horto perfecit opus vespillonis.

O quam acerbus fuit vultus Comitissae, cum postridie mâne artifex furandi veniret pannum lectuarium anulumque afferens. »Tunc« inquit, »novisti artes magicas? Quis te e sepulchro abstulit, cui ipse te imposueram, teque redanimavit?« - Fur autem: »Me quidem« inquit, »non sepelivisti, sed peccatorem illum miserum, qui in patibulo erat suspensus« et fusê narravit, quomodo res facta esset; Comes autem non potuit, quin concederet illum esse furem prudentem atque dolosum. Addidit autem haec: »At nondum rem finivisti. Restat tibi tertium munus exsequendum, et hoc nisi tibi successerit, nihil iam tibi proderit«. Sed artifex subrisit nihilque respondit.

Nox cum ingruisset, fur longo sacco scapulis subbaiulato, fasce brachiis supposito, lanternâ manui insertâ ierat ad ecclesiam vici. Sacco inerant cancri, fasci breves candelae cereae. Consedit in coemeterio, cancrum exemit eiusque dorso candelam agglutinavit, deinde cancrum humo imposuit sivitque repere. Tum alterum cancrum e sacco exemit, eumque eodem modo tractavit et perrexit sic facere, usque dum ultimus quoque cancer e sacco erat exemptus. Nunc artifex induit longam vestem nigram, quae erat aspectu sagi cucullati monachalis, et ad mentum agglutinavit barbam cânam. Tandem cum fur cognosci non iam posset, sacco, cui infuerant cancri, sumpto ecclesiam iniit et ascendit ad ambonem. Horologio turris modo

indicata est hora duodecima: Ultimus ictus cum resonisset, fur vocavit magnâ voce clamosâ: »Audite, peccatores, advênit finis mundi, appropinquat dies novissimus: audite, audite. Qui mecum vult ire in caelum, is repat in hunc saccum. Ego sum Petrus, qui portam caeli aperit et claudit. En videte foris in coemeterio mortuos ossa sua colligentes. Venite, venite et repite in hunc saccum, nam mundus est periturus«. Iste clamor per totum vicum resonuit. Parochus autem et custos, qui habitabant ecclesiae proximi, primo audiverant, et lucas in coemeterio ambulantes cum conspexissent, animadverterunt aliquid insolitum fieri et ecclesiam inierunt. Paulisper cum homiliam audivissent, custos parochi innuens dixit haec: »Quidni occasiunculam captemus, quâ ante lucem diei novissimi facillimê unâ veniamus in caelum« - Parochus: »Scilicet« inquit, »sic ego quoque cogitaveram: si libet, proficiscamur«. – Custos: »Bene« respondit, »sed tibi, Domine Paroche, licet praeire, ego subsequar«. Ergo parochus praeiit et ambonem ascendit, ubi artifex aperuit saccum. Parochus irrepsit primus, deinde custos. Fur autem sine morâ saccum firmê colligando conclusit, sinu arrepto detrahebat per scalas ambonis: quotcumque capita stultorum gradibus impingebantur, fur vocabat: »Heus iam volamus super montes« Deinde eodem modo illos traxit per vicum, et quandocumque illos trahebat per lacunas, vocabat: »En nunc volamus per nubes madidas«, et cum tandem per scalas castelli sursum illos trahebat, clamavit: »Nunc sumus in scalis caeli et mox erimus in caeli propatulo«. Supra cum advenisset, saccum immovit in columbarium; cum columbae se levantes alis volitarent, fur: »Auditisne« inquit, »angelos laetantes alis plausitare?« Deinde pessulo foribus obdito abiit.

Postridie mâne fur se contulit ad Comitem eique dixit se munus tertium exsequentem parochum custodemque ex ecclesiâ abduxisse. Dominus rogavit: »Ubinam eos reliquisti?« - »Isti in columbario iacent sacco inclusi et animis fingunt se versari in caelo«. Comes ipse ascendit sibi que persuasit furem verê dixisse. Cum Comes parochum custodemque e custodiâ liberavisset, dixit: »Tu cum sis verus trifur*, victoriam peperisti. Nunc quidem abeas integer intactusque, sed fac, ut

* trifur, trifuris m. orig. „ein Erzdieb“. cfr PLAUT.Aul.633. cfr Georges, lat.-dt. Wb., s.v.: „ein dreifacher Dieb, ein Erzdieb.“

terram meam relinquo in sempiternum, nam si in eâdem revisus eris, scito ex te factum iri unam longam litteram* «.

Trifur autem parentibus valedixit, abiit in terras longinquas, nec inde ullus umquam de eo aliquid audivit.



* * * * *

* cfr Johann Philipp Pareus, *Lexicon Plautinum*, s.v. littera longa: „Littera longa est littera I. De suspensio usurpatur proverbialiter“. cfr *PLAUT. Aul. 1, 1, 38* neque quicquam melius mihi..., quam ex me ut unam faciam litteram longam.

FABELLAM GRIMMIANAM, CUI TITULUS EST

»Der Meisterdieb«

in Latinum convertit

LEO LATINUS

FABELLA GRIMMIANA

De artifice furandi¹ eiusque magister (1857)²

Iohannes voluit filium suum discere artem quandam fabrilem; itaque Iohannes iit in ecclesiam et Deum Dominum nostrum rogavit, quaenam ars filio conveniret. Tum custos ecclesiae post altare stans dixit: »Ars furandi, ars furandi«. Tum Iohannes redit ad filium suum eique dicit, ut disceret artem furandi, quia hoc sibi dixisset Deus Dominus noster. Tum îdem cum filio profectus virum quaerit artis furandi peritum. Tum ambo aliquamdiu migrantes veniunt in silvam magnam, in quâ stat domuncula, cui inest anicula. Iohannes: »Nonne« inquit, »virum novisti, qui sciat artem furandi?« - Mulier: »Hanc artem« inquit, »hîc certê discere potes. Nam filius meus est artifex furandi«. Tum Iohannes e filio aniculae quaerit, num rectê sciat artem furandi. Artifex autem furandi: »Filium tuum« inquit, »hac arte rectê imbuam. Post annum si reverteris filiumque tuum recognoveris, nullum minerval³ poscam, at nisi eum recognoveris, debebis mihi dare ducentos thaleros«.

Pater domum redit, filius autem bene discit artem furandi resque magicas tractandi. Anno elapso pater profectus maestê deliberat, quonam modo filium suum recogniturus sit. Ambulat cogitabundus, cum subito in eum incidit parvus cobalus⁴ dicens: »Heus vir, quid de te? Videris valdê tristis esse?« - Iohannes: »Oh« inquit, »Anno ante filium meum tradidi artifici furandi, qui dixit, ut anno elapso revenirem, deinde si filium meum ignorassem, ut ei darem ducentos thaleros; at si illum recognovissem, nihil a me sibi fore dandum. Nunc autem timeo, ne filium recognoscam, neque scio, unde accipiam

¹ **artifex furandi**: orig. "de Gaudeif" (= der Gaudieb). cfr Johann Georg Wachter: Glossarium Germanicum, Lipsiae 1737, col.533: "GAU, gaw, celer, agilis, pernix, Dial. Belg. forte ab ὠκὺς per apocopen et anastrophe. Inde creduntur componi, **gaudieb artifex furandi**, a solertia sic dictus, & **gaugraf** quidam iudex, qui potestatem habet in casibus repentinis absque causae cognitione iudicandi. Alii tamen haec composita maluerunt ad pagum referre. Omnium opinioni favet amphibolia, quae est in voce *gau*."

² titulus originalis: *De Gaudeif un sien Meester*. cfr [https://de.wikisource.org/wiki/De_Gaudeif_un_sien_Meester_\(1857\)](https://de.wikisource.org/wiki/De_Gaudeif_un_sien_Meester_(1857))

³ **minerval, -âlis n.** orig. *Lehrgeld*. cfr VARRO rust.3,2,18. Axius, Merula mi, inquit, recipe me quaeso discipulum villaticae pastionis. Ille: Quin simul ac promiseris **minerval**, incipiam, inquit. TERT. De idol.10. [1] Quaerendum autem est etiam de ludimagistris, sed et ceteris professoribus litterarum. Immo non dubitandum affines illos esse multimodae idololatriae. ... [2] Quis ludimagister sine tabula VII idolorum Quinquatria tamen frequentabit? **Ipsam primam noui discipuli stîpem Mineruae et honori et nomini consecrat**, ut, etsi non profanatus alicui idolo uerbotenus de idolothyto esse dicatur, pro idololatra uitetur. Quid? Minus est inquinamenti? Eoque praestat quaestus et nominibus et honoribus idolo nuncupatus? [3] Quam **Minerualia Mineruae**, quam Saturnalia Saturni, quae etiam seruiculis sub tempore Saturnalium celebrari necesse est...

⁴ ***cobalus**, -i m. orig. *Männchen* (nanus magus, cfr Kobold). cfr gr. κόβαλος [ARISTOPH.Eq.635 e.al.]

pecuniam«. - Tum cobalus dicit, ut Iohannes secum auferat miculam panis cumque eâ sub camino sistat: »Ibi in conto posita est corbula, e quâ prospicit avicula, quae est filius tuus«.

Tum Iohannes adiens miculam panis nigri ante corbem iacit; deinde avicula egressa prospicit ad miculam: »Heus, mi fili, adesne hîc?« pater dicit. Nunc filius gaudet se videre patrem, sed magister dixit: »Hoc tibi indidit diabolus, alioquin quomodo filium recognoscis?« - Puer : »Mi pater« inquit, »abeamus«.

Tum pater cum filio suo vult domum ire; dum iter faciunt, carpentum advehitur. Tum filius patri dicit: »Me mutabo in magnum vertragum¹, deinde me usus magnum accipies lucrum«. Tum dominus e carpento vocat: »Heus vir, vin' canem vendere?« - Pater dixit: »Volo«. »Quantinam vendis?« »Triginta thaleris«. »Heus vir, multo constat, sed non repugnabo, quia hic canis est mas vehementer formosus, hunc emam«. - Dominus canem secum aufert in carpentum inscendens, sed vix aliquanto vectus est, cum subito canis per fenestram salit carpenti, et tum non iam fuit vertragus iterumque fuit apud patrem.

Tum una domum eunt. Postridie in vico proximo fit mercatus. Tum puer patri suo dicit: »Me nunc mutabo in equum pulchrum, deinde me vende, sed si me vendideris, necesse erit te mihi frenum denuo auferre, alioquin non potero fieri homo«. - Tum pater equo ad mercatum vectus est. Tum venit artifex furandi equumque emit centum thaleris, et pater oblitus est ei frenum auferre. Tum vir equum secum domum abductum in stabulo collocat. Cum ancilla per pavementum graditur, equus dicit: »Aufer a me frenum, aufer a me frenum!« Tum ancilla consistit et auscultat auribus arrectis: »Eho, potesne loqui?« et ab equo aufert frenum. Tum equus fit passer et super ianuam volitat, sed artifex magus ipse etiam passer factus illum persecutus est. Tum conflagunt et inter se mordent, sed artifex, cum victus sit, salit in aquam et fit piscis. Tum puer quoque piscis fit, et iterum inter se mordent, ut artifex devincatur. Tum artifex mutatur in gallinam, et puer fit vulpes et mordendo abscidit caput artificis, qui tum est mortuus et mortuus iacet usque ad diem hodiernum.

¹ vertragus, -i m. orig. *Windhund*. Genus canum, quod currere valeat velocissimè.

* * * * *

FABELLAM GRIMMIANAM, CUI TITULUS EST

»De Gaudeif un sien Meester«

in Latinum convertit

LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TRICESIMAM PRIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Dominicâ in Albis, 23.m.Apr., a.2017



Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>